

## APPENDIX.

### <sup>a</sup> EPISTOLA <sup>b</sup> EPISCOPORUM AFRICÆ,

*Quam cum supra scripto Leporii libello miserunt ad episcopos Galliæ.*

Dilectissimis et honorabilibus fratribus et consacerdotibus PROCULO et CYLINNIO, AURELIUS, AUGUSTINUS, FLORENTIUS et SECUNDINUS in Domino salutem.

Filium nostrum Leporium apud vestram sanctitatem pro sui erroris præsumptione merito idoneeque correptum, cum ad nos postea quam inde exturbatus est venisset, salubriter perturbatum corrigendum sanandumque suscepimus. Nam sicut vos obedistis Apostolo ut corripere in quietos, ita et nos ut consolaremur pusillanimes ac susciperemus infirmos (I Thess. v, 14).

Cum enim præoccupatus esset sicut homo in aliquo delicto (Gal. vi, 1), eodemque non parvo, ut de unigenito filio Dei, quod erat in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (Joan. 1, 1): Cum autem venit plenitudo temporis (Gal. vi, 4), Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1, 14), non recta quædam saperet, nec vera sentiret, negans Deum hominem factum, ne videlicet substantiæ divinæ quæ æqualis est Patri, indigna mutatio vel corruptio sequeretur: nec videns quartam se subintroducere in Trinitate personam, quod a sanitate symboli catholicæque veritatis prorsus alienum est: eum sicuti potuimus adjuvante Domino instruximus in spiritu lenitatis, præsertim quia cum hoc admoneret vas electionis, adjecit, *Intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (Gal. vi, 1): ne ita se quidam ad provectum spiritalem pervenisse gauderent, ut se jam non posse tentari tamquam homines putarent; addiditque salubrem pacificamque sententiam, ut alter alterius onera portemus, quoniam sic adimplebimus legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum sit nihil, se ipsum seducit (Ibid., 2, 5), dilectissimi et honorabiles fratres. Quam tamen ejus emendationem nequaquam forte implere possemus, nisi vos ante quæ in eo mendosa fuerant damnaretis.

Idem igitur et Dominus et medicus noster utens vas ac ministris suis, qui dixit: *Ego percutiam, et ego sanabo* (Deut. xxxii, 35), per vos percussit tumentem, per nos sanavit dolentem. Idem suæ domus administrator atque provisor, per vos destruxit male constructa, per nos bene composita restauravit. Idem diligens agricola possessionis suæ sterilia per vos eradicavit et noxia, utilia per nos et secunda plantavit. Non itaque nobis, sed ejus misericordiæ demus gloriam, in cujus manu sumus et nos et sermones nostri. Et sicut in supra dicto filio nostro ministerium vestrum humilitas nostra laudavit, sic etiam sanctitas vestra nostro ministerio gratuletur.

Paterno igitur et fraterno corde suscipite a nobis misericordi severitate correctum. Et si enim aliud per nos, aliud per vos; utrumque tamen fraternæ salutis necessarium una charitas fecit: unus ergo Deus fecit, quoniam *Deus charitas est* (I Joan. iv, 1). Proinde sicut per suam præsentiam susceptus est a nobis, sic per suam epistolam suscipiatur a vobis. Cui quidem epistolæ nostra etiam manu subscribendum putavimus, ipsius esse testantes.

Hanc ejus correctionem dilectionem vestram minime dubitamus et gratanter accipere, et eis notam facere quibus ejus error scandalum fuit: quia et illi qui cum eo venerunt ad nos cum illo correcti atque sanati sunt, sicut eorum subscriptionibus quæ coram nobis factæ sunt, tenetur expressum. Superest ut de fraterna salute lætati, rescriptis beatitudinis vestræ nos vicissim lætificare dignemini. Optamus vos, dilectissimi et honorabiles fratres, in Domino bene valere memores nostri.

<sup>a</sup> Etsi quatuor episcoporum nomine scripta est, sic tamen redolet stylum atque ingenium Augustini, ut ab eo dictatam fuisse dubium non videatur. Fortasse et ab aliis quoque, vel aliorum certe nutu ac vice, conscripta est. SIMOND.

<sup>b</sup> Huic epistolæ titulus in hæc verba præfixus est in codice Leodiensi: *Epistola Aurelii, Augustini, Florentii et Secundini, ad consacerdotes Proculum et Cylinnium, de quo Leporio, qui pro eo quod non recta*

*quædam saperet, nec vera de fide sentiret, pro hac sui corporis præsumptione a sanctis memoratis patribus Proculo et Cylinnio correptus et de loco suo ejectus, ad sanctum Augustinum et alios præmissos viros pervenit gratia confugii. Unde ab eis salubriter correctus, et ad sanam doctrinam reductus, suo est episcopo per propriam epistolam catholice sentientem cum sociis reconciliatus.*